



**VRBIS HIEROSOLY-//m[a]e, Templiq[ue] in ea origo, &
ho//rum rursus excidium, profana-//tio, aliaeque uariae
fortunae**

**Langen, Rudolf von
Coloniae, Jan. 1517**

VD16 L 341

De ordine moti exercitus Titi ad Hierosolyma[m], ac eius urbis obsidione,
Et quomo[do] duo eius muri sint capti, ac Titus quo pacto muro tota[m]
ciuitatem triduo circumdedit, & de maximo numero ferme ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71344](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71344)

Hierosolymorum omnibus, Iudæosq; maximis dños
bus prælijs uictos, in urbem compulisset, ac eidē oēm

Mors Ne exercitum admouere pararet, Nunciatum est Nero,
ronis

nem (cum post innumera flagitia a senatu ad pœnam
quæretur) se manu propria interfecisse, quamobrem
Hierosolymorum obsidio remorata est, quia q̄s post
Neronem rerum potiretur, hunc expectare uelle fuit
sententia. Dumq; Galbam impare cognoscit, ac eius
de bello mandatū operiretur, isq; septimo imperij sui
mense occideretur, intellexisset præterea Othonem
cum tribus mensibus impasset, seipsum occidisse. De
mūq; perditissimū hominem Vitellium cum exercitu
e Germania aduolasse Romam, inuasisseq; imperium,
ipsum inuitum quidem ac plurimum renitentem, ex
ercitus imperatorem appellauit. Suscipientiq; imperi
um, omnes uicinæ ac Romanæ ditionis provinciæ, tā
q; uiro optimo, atq; ad imperium maxime idoneo, mis
rum in modum congratulabantur, uel legatis, uel lite
ris ad eum missis. Tunc demum adnitente plurimum
Tito, cum magna gloria uinculis solutus ē Iosephus,
& postea inter amicos. Titi habitus, Vespasianus aus
tem præmissis contra Vitellium ad Italiam ducibus, a
quibus septimo imperij sui mense uictus Vitellius, in
Tyberim projectus occubuit. Ipse uero Vespasianus
per Alexandriam Romam profectus, intermissum ab
eo bellū Tito filio strenuissime cōmendabat pseñndū.

¶ De ordine moti exercitus Titi ad Hierosolymā,
ac eius urbis obſtione, Et quomodo eius muri sint

capti, ac Titus quo pacto muro totā ciuitatem triduo circumdedit, & de maximo numero ferme mortuorū. Turrīsq; Antonia, atq; eius murus ante templū quo modo capta sit

¶ Capl. XII.



Itus autem contractis quos secum habuit copijs, alijs uero ut ad Hierosolymorum obsidionem concurrerent scribit, suppleto etiā exercitu quatuor legionibus, quia tot pater prämiserat in Italiam, magno ac formidando apparatu ad infœlicissimæ urbis obsidionem contendit. In qua tanti exercitus progressionē non iniuctundum fore arbitror, si ordinem q; breuissime significemus. Mouētem igitur e Cæsaria Titum in hostilem teram, regum ac prouinciarum auxilia antecedebant. Ibant post eos triarū stratores, metatoresq; castrorū, sequebantur hos sarcinorum vectores, & hi armati. Post hos Titus tanti belli dux & imperator, electos & signiferos apud se habēs milites, Horum agmen equites sequebantur, & hi ante machinas ibāt, & scdm illos, una cum electis, tribuni militum, & præfecti cū cohortibus, post autem circuca aquilam signa, & ante signa tubicines. Deinde ueteranorum acies ordinibus dilatata, uulgas autem seruile a tergo cuiusq; agminis, & ante hos sarcinæ. Oim uero nouissimi ibant mercenarij, eorumq; custodes factoresq; armorum. Ita igitur instructo iuxta Romanā disciplinam exercitū. Titus ad uicū cui uallis Saul no Vall' Saul mē fuit, triginta ab Hierosolymis stadijs subsedit. Ipe uero Sexcentis delectis equitibus, urbem speculatu-

I iii

rus, Iudæorūq; annos exploratur⁹, p̄ficiſcīt. Aſt m̄ltitu-
dine hōſtiū circūſus, maxio ſui p̄iclo & labore ad ex-
ercitū reuersus ē. Seq̄ntiāt nocte ex Emaus adueniē-
tib; copijs, clara iā luce motis caſtris ad locū puenit, q
Scopes appellat, unde iā ciuitas, & clara tēpli magni-
tudo, conſpici poterat, ſeptē a Hierosolymis ſtadijs di-
ſtans. Ibi duabus legionibus caſtris ſe munire iuſſis,
cæteris ut alijs apportionis locis caſtra metentur impe-
rat. Interea nec in miſerrima ceſſabant urbe ſeditiōes,
ſed apparentib; tanto ſpectaculo Romanorum caſ-
tris, paululum intra diſſenſionis furor ſubſedit, tan-
toꝝ ſtetit diſcorſ concordia tempore, quo inſtar im-
maniſſimarum belluarum excuſione facta, decimam
legionem caſtra ſua muſientem inuadere, quam gra-
ui periculo laborantem, Titus ip̄e biſ liberauit, repul-
ſiꝝ in urbem Iudæi, copia interim militib; eſt tribu-
ta, caſtra muſiendi. Remiſſo autem paulisper prælio,
cum iam azimorum d̄ies quem paſcha uocamus inſta-
ret, ſeditiōforum una pars templum occupat. Scribūt
hoc loco nōnulli in hiſ diebus Hierosolymam captā,
quod ſi loſephō, credimus aliter ſe habere uidetur, ni-
ſi miſerrimam (quo omnes pene Iudæi perierunt ob-
ſidionem) captiuitatē appellare uelimus, que ut poſ-
ea dicemus in mense Septembri ſubſequita eſt. Sed
opportūnum fuit, ut in hiſ paſche diebus quibus domi-
num noſtrum celi ac teræ regem Iudei cruciſixerunt,
confluenteſ ex omni Iudæa ad templū, urbe quaſi car-
cere inſcluderentur, inuicta illa aduersum eos obſidio-
ne firmata, Interea Titus ingētes aggeres ſtruī iuſſit,

Emaus

Iosephus

quibus altitudinem murorum equare adeo ualeat, ut
balistas arietesq; imponeret, quibus murorum turris
umq; fundamenta concutere possit, & euertere. Sed
aggerum consummationem non expectantes Roma-
ni, magno impetu oppugnantes, primum (quorū tres
ciuitatis erant) murum capiunt, secundoq; muro pio-
ri exultantes uictoria pari impetu potiti Romanī, fe-
rali Iudaeorū audacia ab eodem sunt repulsi. Quæ stre-
nuissimus imperator non ferens, totum colligens ex-
ercitus robur, ingenti commissō prælio, secundum mu-
rum recepit. Tertium uero similiter acerrima oppu-
gnatione peruincere apparente Tito, Iosephus cū Iu-
dæis colloquia habuit, eosq; longa & prudentissima
oratione ad deditiōnē Romanis faciendam hortaba-
tur, cui non modo non acquiescentes Iudei, uerum cō-
uitijs laceffentes, etiam iaculīs appetebant. Qua pessi-
mæ gentis obstinatiōe conspecta, arctius urbē obſide-
re, pticipato cū amicis cōſilio Titus decreuit, Iudæos
tū q; famis acerbitate uiicti, & ad deditiōnē faciendam
moti, ex urbe pfugerant, insigni q; præditus erat pietā-
te motus, q; uellent abire pmiſit, donec plimos eorū au-
rū deglutiuſſe comptū est. Tūc em̄ auri cæca cupidis-
tate milites capti, p̄cipis hūanitate neglecta, passim
miserrimos trucidarūt. Vna etem nocte duorū q; pfu-
gerat miliū, patefacta sunt uiscera. Titus igī ut latro-
nes in urbe cōcluderet, ac excursiōes qbus sepemūero
cōmeatus aliquid importabat inhiberet, rem magnā
& pene incredibilē adorsus est. Distributo quippe p-
oem exercitū labore, oem Hierosolymā triduo mu-

Iosephus → ro cingit, unde quadraginta stadia complectetem. Ita enim diuinus qdam impetus (ut Iosephus ait) hoc operis perficiendi milites inuasit, Iudaeis omnium iam facultate erumpendi sublata, miserrima ciuitatis facies fuit, in qua iam fames totis regnabat habenis, ex qua maxima mortalitas sequebatur, domus namque mortuis testa, & plateae refertae fuerunt, idcirco odoris corruptissimi plena ciuitas fuit. In qua uelut in carcere innumerablemis multitudine arctissima obsidiōe claudebatur, pri mū quidem ære publico, q̄ præfuere ciuitati latrones, iubebant corpora sepeliri. Sed cum neq; in urbe sepe h̄iēdi locus superesset, sumptusq; publici defecillent, de muris cadauera in subiectas ualles præcipitauere. Quæ cum ciuitatis expugnationi intētus, eam obam bulans Titus conspexisset, eorumq; aceruos in tabem defluere, altius ingemuit, tendēsq; ad cœlum palmas, Deū celi testabatur, sūtæ hoc culpæ aut impietatis nō esse, qui eos se penumero ad deditiōnem hortatus fuissent. Porro ut Romani obsessos plus excrucianter hostes, eis famæ pereuntibus largissimas dapes iuxta murum stantes ostendebat, letitiacq; & gaudio exultabat. Ioannes uero in urbe miserrima, latronum ac seditionis dux alter, deficientibus ex populo rapinis, scilicet legas ad pretiosam templi supellectilem manus cōuertit. Ingentia templi donaria auferens, inter quæ uiceculos non mediocris pretij (quos Augustus Cæsar eiusq; coiunx Hierosolymam ad templi decorum misserant) dicitur abstulisse. Nec minus interea fames & ex ea mortalitas in urbe grassabantur. A profugien-

tibus enim ex ea nobilibus didicere Romani, supra
sexcenta mortuorum milia portis euecta. Eorum uero
numerum quæ intra maximas domos congesta iace-
rent cadauerum, comprehendî nequaquam posse aie-
bant. Porro Romani ingentes aggeres extruētes, oēs
attondunt circum urbem preciosas arbores, ad stadia
usq; nonaginta, unde & amoenissimæ teræ facies mise-
tabilis facta est. Nam autore Iosepho, quæ prius ut pa Iosephus
radis arbōribus ornata fuerat, adeo nunc deserta ac
deformata decisis undiq; nemoribus, cernebat, ut nec
quisquam, alienigena q; ea prius uidisset loca, a lachry-
mis potuit temperasse, antea suburbana iucundissima,
ac uoluptatis plena, nunc deformem tantæ pulchritu-
dinis solitudinem intuens. Cum omnia eius decora &
insignia, graue & asperrimum deleuisset bellum. Ere-
ctis post hæc intra unum & uiginti dies aggeribus,
ignem eis facta excusiōe, Iudæi apponere magna pa-
rant audacia, sed incredibili Romani militis uirtute p-
hibiti, in urbem sunt redire coacti. Admotis interea
mūris & turri quæ Antonia dicebatur machinis, facū-
dissima Titus orōne milites ad op̄i ḡnandū cohorta-
tus ē. Aggrediū idcirco mūrū strenuissime Romani.
Sed dum Sabinus quidam natione Syrus primus mū-
rum ingenti uirtute superasset, cum undecim qui pari-
eum audacia sequuti fuerant occisus, in Romanos re-
uoluitur. Verum post biduum milites uiginti qui in
aggeribus tormenta seruantes excubabāt, ordinis sui
aggressi signiferum, duobus præterea ex ala quadam
equitum & tubicine assumptis, nona noctis hora, ad

K

Antoniam turrim per ruinas quas machinæ deiecere procedunt, cæsisq; primis quos somnus oppresserat custodibus murum capiunt. Datoc; confessim buccina signo, cœt eri uigiles suscitati fugiunt. Cæsar auditu signo, armatis occurrens copijs, primus lectorum se manu militum comitante murum ascendit, confugientibus ad tēplū quod interius erat Iudæis. Sicq; Anto-

*Antoniam capta, ante ipsas templi porticus terribilis pugna
conseritur. Romanis summa opera exemplum irrum-
pere adnitentibus, Iudæis uero eos a tēpli foribus An-
toniam uersus repellere, magna conantibus audacia,
Sagittis autem lanceisue, res nequaquam geri potuit,
sed strictis tantum mucronibus dimicabant, ita uir ui-
ro densus (iuxta poetam) hærebat, permixtusq; Iudæ-
is pugnabat Romanus, nullumq; interuallum inter di-
micantes fuit, quod uel maxime ob locorum angustias accidit. Sed cum ea pugna ab hora noctis nona, ad
septimā usq; diei durauisset, desperata Iudæorum au-
dacia Romanorum militum peritiam uicit, ut tota eos-
rum acies longius a templo pelleretur, quia nondum*

*Tinduit nouum exercitus eorum robur murum transcenderat, satis ui-
tum est Tito captam occupare Antoniam, quo usque
muro eius diruto, omnis facilius infunderetur exerci-
tus. Hæc autem turris ad templi munitionem simul &*

*Cor. Tac. decorem ab Herode (ut Cornelius Tacitus ait) extru-
cta est ac in honorem M. Antonij trium uiri, q; tunc*

*Aegypto ac Syria præsidebat Antonia dicta ē. Rue-
sum Josephus iubente Tito, oratione luculenta, & la-
chrymis plena, ad deditioñem Iudæos hortabatur, adeo*

Turris
Antonia

perituræ patriæ suæ compatiens, ut eius uerba singul
tibus sint interrupta, Romanis magnope dolore eius
admirantibus. Sed perstabant in pertinacia latronum
duces, quamvis nobilium animos Iosephi permouis-
set oratio, sed hi ducibus nil audebant invitatis. Titus Ofo Titi
adhuc eorum dolens uicem, interpretate Iosepho, bre ad Iudeos.
uissima, sed acerrima eos oratione corripuit, Nonne

uos (inquiens) o sceleratissimi cancello sancta prote-
xistis, Nonne literis Græcis ac nostris incisas tabulas
constitutas habetis, quibus ne septa cuiquam trāsgres-
di liceret edicitur. Nonne eos qui trāsissent quamvis
Romanus quis esset, necari permisimus. Quid igitur
nunc in eo etiam mortuos conculcatis, o nocentissi-
mi. Aut cur templum & externi & gentilis sanguinis
confusione polluitis. Testor ego primos Deos, & si
quis unquam hunc locum respexit, nunc enim nemini
nem credo, itemq; testor & exercitum meū, & Iudæos
qui apud me sunt, & uolipso, quod non ego uos hæc
uiolare compellam. Quinetsi locum acies uestra mu-
stauerit, neq; accedit quispiam ad sancta Romanor,
neq; quispiam in eius cōtumeliam faciet, Seruabo eti-
am uobis templū nolentibus. Hec tyranni audientes,
nō ex principi pietate, sed timiditate dicta putates,
in supbiam tollebantur. Titus uero qui eos, neq; sibi
spis, neq; templo parcere animaduertebat. Templo
bellū inferre parabat, & cum uniuersum militem eius
locus non caperet, subuersis Antoniæ fundamentis,
latam toti exercitu uiam ad templum usq; composu-
it, & aggeres in uallibus templi ad arcton, maximo &

K ij

incredibili labore construxit. A centesimo enim stadio materiam aduichere necessarium fuit, Porticus autem templo contigua, & quæ Antoniæ iungebatur, a Iudæis incenditur, sed ne ulterius in templi pernitiem ignis procederet, ad uiginti cubitus eandem abruperunt. Post biduum uero Porticum & Romani incenderunt, & procedente ad decimumquintum usq; cubitum igne, tectum similiter & tabulata Iudæi abiiciunt. Nec minus interea cruentissima circa templum prælia cessabant, nunc dolis, nunc desperata resistentibus audacia Iudæis. Infinita etiam (dum hæc geruntur) multitudo fame & inedia consumitur obsessorum. Eoque tempore insigne illud & horren dum dictu facinus patratum est, q; nobilis quædam Maria, ex transiordano populo mulier, unicum qui sibi supererat ifantem occidit, coxit, comedit parte eius seruata predonibus, ut Iosephus Iosephus & post eum ecclesiastica describunt historia Eccl. hist. Quæ tanta & inaudita Romanis nunciata calamitas, Detin super hoc Titus placare satagebat, se quidem Iudæis pacem obtulisse inquietus, templicè fese in regritatem pollicitum esse, sed illud ipsos suis manib; incendisse, porticum designans quæ templo & Antoniæ (ut diximus) iungebatur. Verum huiusmodi alienatis eos esse dignissimos, & huius nefandissimi cibis scelus, ruina patriæ fese cooperturum, neq; relictum ut tam impiam sol aspiciat civitatem, i qua sic matres uesperentur. Hæc dicens Titus hostium desperationem reputabat, neq; eos sententiam existimabat mutaturq;

¶ Quomodo Titus cum templum sine suorum maximis damno seruare non posset, porticibus ignem immittit, quibus late ardentibus, fugiunt de templo Iudei. Et quomodo in illud cum principibus suis ingressus, adhuc magnopere illud seruare desiderabat. Et quod tandem pacto ipso inuitio exustum sit, & de maxima ardoris urbis & occurrentium Iudeorum calamitate.

¶ Capl'm. XIII.

Octauo igitur mensis Augusti die ageribus perfectis, graues templo admoueri arietes iussit, qui terribili sex diebus impulsu sine intermissione murum pulsantes, nihil admodum proficerunt. Nam fortissimorum structura lapidum, horum impetus repellebat. Sed septentrionis templi portam subfodere satagentes Romani, exteriores tantum lapides euoluere potuere, sustinente interiori muro quod fortissimus erat portam. Et hoc opere frustrati Romanii, scalas porticibus admouerunt, quas ne subirent, ingenti repugnantes audacia Iudei, impedire conati sunt, nonnullas etiam scalas armatorum plenas, in latus inclinantes deieciebant, unde non parua Romanii militis cedes sequebatur. Titus autem uiso, quia templo, damno, & nece suorum parceret, ira percitus, ignem portis quae in porticibus erat subiecti iussit, diuino etiam (ut par est credere) motus instinctu, quod iam contaminatissimum illud fanum (ut uerus & singularis Deus noster ante praedixerat) euerti & exuri debebat, & gens sacrilega perdenda fuit. At uero igne iam per mis

K ij